augerique cœperunt, corpus humanum invasit. Quorum
quantus sit numerus, exinde conjicere licet, quod unus
Galenus medicorum princeps in uno oculo humano 112
morbos reperiri affirmare non dubitavit; et si in
uno oculo tot reperiuntur, quot quæso in toto capite
reperire erit? Et cum omnes isti morbi ad nos usque
liberè et impunè in corpora nostra descendant, quam pu-
tatis fore mundi faciem? quem statum? quas ærumnas?
quanto miseriæ tantis malis nihil est calamitosius,
execrabilius, et mortalium generi exitiosius: tanto opta-
bilius, salutarius, hominibusque conducibilius nihil con-
tingere potest, quam concedi aliunde remedium et au-
xilium, quo corporum nostrorum hostes illi crudelissimi
confodiantur, jugulenturque; quo, inquam, gravissima-
rum ægritudinum varietas expellatur, vehementissimaque
dolorum acerbitas extinguatur. In quo verò tale
aliquod præsidium nobis repositum existimabimus? non
in Philosophia, quæ nos discurrere docet. non in Juris-
prudentia, quæ, quo pacto res nostras tueamur, common-
strat. non in SS. Theologia, quæ virtutum definitiones,